

16 200

Antonius Haller
Amicus carissimus opponenti benemerito
actor

SPECIMEN INAUGURALE MEDICO-
CHIRURGICUM,
SISTENS
OBSERVATIONES ET ANIMADVER-
SIONES

DE
COXALGIA,

QUOD,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN
CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE
DORPATENSI,

PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO
LOCO CONSUETO

PUBLICAE DEPENDET,
AUCTOR

GUILIELMUS THOMAS SABLER,

REVALIA - ESTHONENS.
DORPATI - LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI
MDCCCXXIII.

1834

I m p r i m a t u r,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum
censura est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. vii. Mart.

MDCCCKXIII.

Fr. Parrot, h. t. Decanus.

VIRO

**MAXIME REVERENDO AC DOCTISSIMO,
AVUNCULO DILECTISSIMO,**

**IOANNI FREDERICO ARNOLDO
KNÜPFFER,**


Concionatori ad Aedes St. Catharinae, Senatus Ec-
clesiastici h. t. Directori, Assessori etc.

hoc primum literarum specimen,

pia grataque mente

dat dedicat et offert,

Auctor.



459273

Ad Lectores.

., nec ulli nato post mille saecula praecidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.

L. A. Seneca Epist. LXIV.

Ingenti aegrotorum cadaverumque diligenter examinandorum numero opus est medico observatori, nova veraque, insignis quae fuerint momenti, reperturo et comprobaturō, naturaque magistra correcturo inveteratos errores. Ampliora quid praestent hoc in genere nosocomia, constat inter omnes. Recens repertorum solerti examinationi ac lustrationi, qua carere ars medica perinde nequit, sicut fructuosis propositis excogitatis, arti mox profuturis, eamque adjuturis, tanto praesidiorum et adjumentorum suppellectili non est opus, quippe quae non nisi factorum sufficientem notitiam, clarumque, maturum atque ingenuum requirant iudicium.

Quum cogitatorum, quae propositurus sum, finis, sicut ex postremo loco monitis colligi licet, sublimior sit magisque arduus, quam quem omnino assequi possim: insigne praemium jam tum me reportasse duxerim, quum quaecumque studium meum in rem a me tractandam collatum aequi bonique fecerint Benevoli Lectores.

Si quaesieris, quid sit, quod id thematis potissimum tractandum sumserim, scito, egregiam contigisse mihi et occasionem et opportunitatem in nosocomii academiae Caesareæ Dorpatensis sectione chirurgica Perill. Moieri, praeceptoris mei perpetuae observantiae studiis colendi, morbi istius exempla quaedam in dissertationis sectione I. commemorata observandi. Altera sectio ea solummodo exhibet, quae meo plurimorum auctorum hac ipsa de re disputantium scriptis illustratis animo subvenerant, quum de sede atque origine mali commemorati ipse certior fieri magisque edoceri studerem. Quas quidem animadversiones ex sola fere analogia haustas esse, ingenue libenterque profiteor.

.....

Sectio I.

Historiae morbi quaedam exempla.

Primum exemplum.

Georgius (Jürge), rusticus praedii Varangusolivonici, annos xxv natus, subtumiduli et phlegmatici habitus, d. v. Septbr. anni c1810cccxxii in nosocomium chirurgicum erat receptus.

Aegrotus ante laboraverat impetigine, quae quidem maximam partem jam evanuerat. Excepto hoc malo vulgatisque infantum morbis, semper bene valuerat. Mensibus XVIII ante, post gravem lapsum in dextrum latus, percepit coxae vehementem dolorem, fere omnino quidem disparem, postquam per aliquot menses alternis vicibus magis minusve saevierat. Media aetate ejusdem anni iterata vice lapsus cum fuisset aeger, denuo saeviebant coxae dolores et vehementiores quidem, quam ante, neque amplius evanescentes. Quantumvis doloribus impediretur aeger, quominus obire posset consueta sua negotia, ceteroquin naturae legibus consentaneae erant functiones. Aegroti externe examinati haec erat reperta

conditio: Rectus staturus, non, nisi sinistro pede, niti poterat, dextrum pedem, genu flexo, extra vertere coactus, ita, ut solis pedis digitis, tangere solum posset. Natum dextra pars complanata erat, pelvis obliqua, dextrorsum detracta, spina dorsi perinde obliqua et aliquantulum dextram versus inflexa; trochanter major dextri lateris, inde a crista iliaca spectatus, inferior, quam sinistri. Remittebant dolores simul atque in lecto decumberet aeger. Ambulantis sacviores mane erant, quam vesperi. Supinus cum cubaret, prolongatus comparebat pes adfectus. Genu dolor, hoc in morbo alias consuetus, aut nullus erat omnino, aut vix percipiendus. — Quibus omnibus perpensis satis persuasi esse poteramus, Coxalgia, quam dicunt, seu morbo coxarum, laborare aegrotum, jam in secundo morbi stadio versantem. *) — Prognosis funesta esse eo non poterat, quod viribus adhuc valeret aegrotus, necdum malum asperiorem formam assecutum esset.

*) Insistimus quidem, tum hoc loco, tum in sequentibus, Cel. Rustii vestigiis, hunc morbum in quatuor stadia dispartientis.

Impetiginosus iste morbus, tanquam momentum causale internum, seu praedisponens, sicut lapsus iste miseri in latus dextrum iteratus tanquam momentum causale externum, generasse atque intulisse id morbi videntur. Quam ob rem externa socianda erat, cum interna, modela. Primum circa trochanterem adfecti lateris, hirudines decem, die X. Septbr. sunt adplicatae. Quibus adhibitis praebitae sunt pilulae ad hanc formulam: R. Sulph. aurat. antim. gr. xij, Extr. taraxaci, Pulv. rad. calam. arom. aa. ʒij. M. f. Pilulae pond. gr. ij D. S. et mane et vesperi pilulae X adsumendae. Hirudinum vis in dolores mitigandos insignis non erat.

D. XII. Sept. cauterium actuale est adhibitum, et eo quidem modo, ut striae tres, pollicum quinque longitudine, inurerentur. (In hoc, sicut in ceteris aegris infra commemorandis cauterio prismatico cel. Rustii usus est Perill. Moier). Una stria in anteriori, duae in posteriori trochanteris latere erant inustae. Pone trochanterem ipsum profundius immisissum est cauterium, ad fonticulum ibi loci deinde aperiendum. Qua operatione chirurgica absoluta, evanuerant, tanquam incanta-

tionis magicae vi, dolores. Et ambulare et recitatus stare poterat aeger, pede affecto temere usus, nullis omnino doloribus reversis. Superficies adustae cataplasmatibus oleosis sunt obiectae.

D. XX. Sept. Non redierant coxae dolores; tanto sensibilius erat vulnus externum. Suppuratio jam oborta epithematibus, quorum modo mentio facta est, oleosis, videbatur servanda. Facile patiens cum esset remedii interne adhibiti aegrotus, eidem pilularum quantitati, loco granorum xij, sulphuris aurati antim., grana xvj sunt admista.

D. XXX. Sept. Articulatio coxae etiamnum expers doloris erat, vulnere exteriori valde suppurante, nisi quod margines ejus consanescere coepissent. Ambulare etiam et in pedibus consistere poterat aeger. Ipso affecto pede uti ei licebat, coxae doloribus non obortis, Genu adfecti lateris ob inflexam, cui adsueverat, directionem subrigidum erat: attamen crus ad positum usque normalem, aegre quidem, at sine doloris sensu, protendere poterat Noster. Ad servandam suppurationem in posteriori latere, juxta trochanterem globuli cerei duodecim, granorum octonorum,

sunt immissi, reliquo vulnere lapidis infernalis usu complanato.

D. XV. Octbr. Praeter vulnus externum bene valere aeger videbatur. Vegetatio expedita. Crebra exercitatione eo pervenerat, ut crus lateris adfecti jam sine negotio protendere posset. Additamentum sulphuris aurati ad eandem pilularum quantitatem, quippe cujus tam facile patiens aegrotus esset, ad ℥j est adauctum. Ubi visum fuerat, ulceris superficies lapide infernali adfecta. Olei epithematibus perungendis ante adhibiti loco, aquam calcis in olei connubio, tanquam linimentum, substituere visum est.

D. IV. Novbr. demissus est Noster, globulorum cereorum ad servandum fonticulum necessariorum numero ad senarium imminuto. Simul suatum est ei, ulcus porro aliquamdiu servare apertum. Praeter id vulneris arte facti optime omnino valebat. Quum demitteretur ex nosocomio secunda demum valetudine gaudens Noster, adfecti ejus pedis longitudo examussim aequabat alterius ejusdem non adfecti longitudinem.

Secundum exemplum.

Petrus, mercenarius mercatoris Dorpatensis

socius, annos XIV natus, infirmioris habitus, d. XIV. Octbr. Anni cldcccxxii in nosocomii academiae Caesareae Dorpatensis sectionem chirurgicam translatus. In teneriori pueritiae aetate saepius laboraverat oculorum inflammationibus, et capitis potissimum psora. Abdomen ejus semper inflatum fuerat, glandulis colli et vere et auctumno plerumque tumescentibus. Hisce incommodis, praeter glandularum tumores, quorum reditus, bis per annum, tenaciter sibi constabat, sensim liberatus est; ante sex, et quod excurrit, menses autem, in genu sinistro volatiles sensit dolores, sine ulla laesione externa obortos, perceptos tamen, quum, e balneo vix reverso aegroto, statim in mercatoris taberna, consistendum fuisset. Gravibus oneribus aut elevandis, aut portandis insigniter adaugebantur dolores. Sensim sensimque cedere hi quidem videbantur, aut res externae, quarum nunc utique mentionem fecimus et quibus ante cieri solebant, vires suas minus ad eos excitandos exserere; at istorum (dolorum) loco, ictum inde a genu sursum tendentium sensu aliquoties percepto, novi circa articulationem coxae sinistri lateris exorti sunt dolores. Genu dolor

aliquanto post aliquoties reversus est idem, sed articulationem coxae qui infestabat dolor, magis sibi constabat, quantumvis et incrementi et decrementi ratio fere eadem fuisset, quae genu vexantis esse solebat.

Externa disquisitio docuit, quae sequuntur: Pelvis obliqua erat posita et inferius id latus quidem, quocum correspondebat pes adfectus. Stantis adfectum femur extra versum, in genu flexum erat, ita, ut soli digiti pedis terram attingerent, universa corporis mole nixa in dextrum pedem. Macrior quam alter, pes adfectus erat. Plica inter nates a posteriori spectata, obliqua procurrebat et magis complanata erat natis adfecti lateris, quam alterius. Cubantis etiam obliqua pelvis videbatur disquirenti, nec visi pro ratione hujus obliquitatis prolongatus erat pes adfectus. Trochanter adfecti lateris autem multo longius distabat a pelvi, quam alterius non quidem adfecti. Pressus tum anterioris lateris acetabuli, tum pone trochanterem sinistri lateris, vehementes, aegrotantis ciebat dolores. Insistere quidem poterat in pedem adfectum, at nunquam nisi ad ductis doloribus. Ceterum macie extabuera aegroti corpus

universum, gilvoque colore cutis erat. Quibus rebus perpendis, Coxalgia, quam dicunt, laborare non putari non poterat Noster. Morbus scrophulosus, istius mali veluti genitrix creditus ab auctoribus, non poterat non agnosci. Tanquam momentum causale externum refrigeratio aegrotantis statim post balneum adhibitum, erat consideranda, neque minus vis noxia frequentioris artus morborum commotionis et pressus articulationis ileo-femoralis. Aderat etiam statim ab initio notabilis ille genu dolor, qui coxalgiam exquisitam saepissime et antecedere et concomitari solet. In secundo demum morbi stadio quum consisteret aeger, creberrima recentiorum temporum experientia edocti, cauterio actuali opportune adhibito, praesentaneo remedio externo, gaudeamus, ad tum impediendam, tum rescindendam metamorphosin in articulo coxae jam praesentem, fausta augurari prognosi licebat; quantumvis duntaxat palmarium istud malum, morbus scrophulosus, requirit medelam, saepius quidem inanem; at in universum tamen morbus ille plerumque phaenomena fere non advehit, quae mortem minuentur aegrotis. Ad hanc rem quod attinet, pla-

cidiori locus datus erat prognosi, eo quidem, quod aegrotum nostrum adhuc maneret pubertatis periodus. Captum igitur est consilium duplicibus illis indicationibus, ex fontibus istis haustis, immorandi atque insistendi. Praebebantur aegroti in pulveris forma quae sequuntur: *R. Hydrargyri muriatici mitis, Stibii hydroth. oxydulati aa. gr. vj, Radicis calami aromatici, Flavedinis cort. aurantior. aa. zij. M. f. Pulv. Div. in XII p. aeq. S. Mane vesperique pars una adsumenda.*

D. XII. Octbr. cauterium actuale est adhibendum, in anteriori trochanteris latere, stria una, in posteriori, duabus, pollicum IV — V longitudine inustis. Proxime ante trochanterem, ad foniculum aperiendum, intensius fortiusque ferrum est admotum. Aegrotus quantumvis primum excandefactus dolorum sibi conciliatorum sensu, mox efferebatur laetitia, quod artum adfectum citra dolorem percipiendum jam commovere, ambulare et stare sibi liceret. Loca adusta epithematibus oleosis deinde sunt obiecta, medicaminum ore adsumendorum usus continuatus, aegroque tranquillius in lecto cubitus de meliori commendatus.

D. XXIV. Octbr. Diebus duodecim elapsis vigeat locorum adustorum suppuratio. Motio in adfecta articulatione coxae neque impedita quidem erat, nec dolorosa: sed deambulans ille, aliquantulum adhuc claudicabat, sive quod vereretur, ne novos perpeffurus esset dolores, sive quod ita consuevisset. Pulveris Plummeri minime impatiens erat Noster. Praeberi solebat secundum adauctam hancce formulam: R. Hydrarg. muriat. mitis, Stibii hydroth. oxydulati aa. gr. ix, Radix calami aromat., Flaved. cort. aurant. aa. ʒj. M. f. Puly. Div. in XII. p. aeq. S. Mane et vesperi pars una porrigenda.

D. XIV. Novbr. Ulcera bonae notae speciem prae se ferunt, inde a marginibus consanescere coepta. Quam ob rem globuli cerei octo anteriori ulceri sunt immissi. Remedium interioris usus ob laxam alyum aliquot diebus erat intermittendum. Deinde ejusdem remedii facile patiens aegrotus erat. In universum, ex quo commorabatur in nosocomio, magis macilentus etiam factus est, forte quod in vigentiori corporis incremento versaretur.

D. XXIV. Novbr. Scrophulosa indoles multum videbatur correcta, tum remedio interioris usus assidue, uti consultum dacebatur, adhibito, tum ingruente pubertate. Ulcus universum complanatum est lapide infernali, globuli cerei innovati, et omne quidem linto carpto et emplastro adhaesivo Wirceburg. obligatum.

D. V. Decbr. Quum ulcus universum, praeter fonticulum, consanisset, et, omnibus bene procedentibus, non esset, quod vereremur, ne malum recideret, demitti quidem e nosocomio potuerat Noster. At oeconomico consilio et parsimoniae studio ductus cum precaretur, ut adhuc aliquamdiu in nosocomio commorari sibi liceret, ad d. XXI. Januarii Anni 1818 ibi retentus est. Tum saluus optimeque valeus institutum clinicum reliquit.

Nota I.: Pedis adfecti prolongatio in secundo morbi stadio, quae, ex auctorum arbitrato, ad IV. usque pollices progredi solet, nunquam solummodo ex prolongato osse femoris pendere potest.*) Nunquam enim hoc in morbo,

*) Brodie, Pathological and surgical observations on Diseases of the Joints. London 1818. P. 145.

caput et collum ossis femoris infestante, ob harum partium structuram et formam, omnis extremitatis prolongatio aequat extensionem collo et capiti femoris illatam; hoc est: Capite et collo ossis femoris unius pollicis longitudine naturae legem transgressis, haec quidem prolongatio in universa extremitate, cum altera, eaque salva, comparata, unius pollicis longitudine aucta putari nequit, et eo quidem, quod collum ossis femoris, cum corpore ejusdem, angulum format obtusum. Quid? quod hanc ipsam ob causam tum forte quadrantem tantum unius pollicis exhibuerit! Deinde et ex consuetudine, ut nentium, tornatorum aliorumque opificum, qui una tantummodo extremitate, ad artem suam exercendam, uti solent, pelvis obliquitas, adeoque et ejusdem extremitatis prolongatio potuerit animadverti; sicut hoc morbo adfecti, verentes, ne in coxa adfecta dolores excitent, universam corporis molem in alterum pedem bene valentem transferunt*), unde experientia

*) S. Coopers neuestes Handbuch der Chirurgie, übersetzt von Froriep. Weimar 1820. II. Bd. S. 204.

quidem magistra obliquum positum pelvis nanciscitur. Quae igitur unius alteriusve femoris prolongationes non magis coxalgiae diagnosin subministrare potuerint. Fortassis autem tum, ex proportione et comparatione trochanterum et cristarum ossium iliacarum, rectius tutiusque argumentari possis. In secundo exemplo prolongatum quidem adfectum femur erat, sed non, nisi pro ratione obliquatae pelvis; et anomalon, quo conspicua erat morbosa extremitas, percipi sine negotio poterat, utroque trochantere comparato. In adfecto nimirum latere multo magis a pelvi distabat trochanter major, quam in sano, nec fere omnino inferius erat constitutus. Ex quo momento explicari forte licuerit, cur Petit *) et de Haen **) prolongationem adfecti artus in prioribus hujus morbi

*) Histoire de l'Academie royale des sciences. Année 1727. p. 118, et Traité des maladies des os. à Paris 1758. T. I. p. 312.

**) Heilungsmethode in dem kaiserlichen Krankenhause zu Wien. Aus dem Lateinischen übersetzt von Plattner, 1780. II. Bd. S. 102 und 103.

stadils omnino negari potuerint, (— licet secundum recentiorum experta fidem huic rei facere perhibeantur *), quamvis explicandi modus, quo uti Petitiō visum est, rectus non sit, sicut et Sabatier**) et Desault***) docuerunt. At in majorem minoremve femoris prolongationem vim magnam habet acetabuli difformitas. De quibus etiam vid. Diss. inaug. de morbo coxarum, auctore Fokkelmann. Dorpati Livonorum 1817, p. 9.

Nota II. Si quis examinaverit hujus morbi historias memoriae proditas, multo frequentius inveniet, aut defuisse omnino in genu dolore, aut valde exiguum fuisse, quotiescunque in articulationem vim suam exseruerit externa caussa, mox oborta Coxalgia; vehe-

*) Neue Bibliothek für Chirurgie und Ophthalmologie, herausgegeben von Langenbeck. Hannover 1818. I. Bd. 3. St. S. 511.

**) Memoires de l'Academie royale de Chirurgie, à Paris 1774. Tom. XV. p. 340.

***) Chirurgischer Nachlass, herausgegeben von Xavier Bichat, übersetzt von Wardenburg. Göttingen 1800. I. Bd. S. 165.

mentioem contra tum esse solere, cum ejusmodi momentum mechanicum non praecesserit, dolore serius tamen in coxa exorto, vel tum demum genito, cum abcessus *) fuerit formatus, aut luxatio ista spontanea subsequuta esset. **) Utraque morbi historia supra enarrata, sicut infra referendae confirmare videntur, quae modo adserere ausi sumus; et in altera harum pagellarum sectione sese offeret opportunitas, quasdam adhuc cum benevolis Lectoribus, de hac re, communicandi conjecturas. Genu dolore in Coxalgia creberrime obvio, ii, qui in prima morbi periodo cum Gonalgia, sic dicta, Coxalgiam permutant, non tantopere sunt taxandi, quantum Fordio, Fickero, Albersio aliisque visum est. Nam deficiente coxae dolore, id quod, sicut jam monuimus, in prima pe-

*) J. A. Albers, Preisfrage, worin besteht eigentlich das Uebel, welches unter dem sogenannten freiwilligen Hinken der Kinder bekannt ist? 4to. Wien 1807. p. 41.

**) Heberden Commentarii de morborum historia et curatione. Recudi curavit T. Sömmering. Francofurti ad Moen. 8. 1804. p. 84.

riodo fieri saepe solet, utriusque mali nullum omnino existit signum distinctionis. *) Rigor enim et lassitudo, quibus articulatio ileo femoralis adficitur, in primordio Coxalgiae, sibi non constant, ergo fallunt medicum observatorem.

Tertium exemplum.

Simon, juvenis rusticus ex Livonia ortus, annos XVIII. natus, gracilis habitus, d. VII. Febr. Anni MDCCCXXXII in nosocomii academiae Caesareae Dorpatensis sectionem chirurgicam translatus, circa medium mensem Novembrem superioris anni, percepit, se quidem teste, sine ulla exteriori causa efficiente praegressa, vehementem genu sinistri dolorem, quo vexatus, negligere coactus erat consueta sua negotia. Sensim quidem immixtus erat dolor; deinde vero tanto magis furebat. In coxa primum nullum sensit dolorem, at incommodum rigorem, mane potissimum exacerbescen-

*) J. N. Rust, Arthrokakologie, oder über die Verrenkungen durch innere Bedingungen u. s. w. 4to. Wien 1817. p. 34.

tem, artusque liberum motum impediens, adeo remittente genu dolore. Die XXV. Dec. anni praeterlapsi multo peior erat aegroti conditio, ita, ut noctu vix dormire ei liceret. Attamen quies ipsi commendata post ejusmodi impetus, meliorem advehebat conditionem, doloribus mitigatis. Deinde femoris in coxa motus magis erat impeditus eo, quod consulto caveret, ne artum protenderet, qua quippe re genu infestarent dolores.

D. VII. Febr. haec aegrotantis conditio erat: Genu dolor jamjam magis durans, vix et rodens; fatuus contra in coxa dolor. Superne intumuerat artus adfectus ex tactu quocunque dolorosus. Ante aliquod tempus, noctu subito brevius redditus se exhibebat femur, et quum ante dolorosa adfecti pedis in solo statio fuisset, jamjam fieri omnino non poterat. Artus adfectus in coxa genuque erat inflexus, impedita protensio, pedis extremitas introrsum versa. Trochanter adfecti lateris, magis sursum reperiebatur, propinquiusque cristae iliacaе, quam alter, qui salvi erat lateris. Quibus rebus perpensis hoc in malo non agnoscere non poterat Coxalgia in tertio

stadio constituta, femoris capite e cavo articulationis egresso. Semper bene quondam sese valuisse affirmabat aegrotus, at habitus ejus renuntiare videbatur scrophulosum morbum. Ceterum alimentorum adpetentia, alvi dejectio, e. s. p. normalis erat.

D. VIII. Febr. Et hoc in aegro cum decretum esset tractationis externae, cum interna medela, connubium, praebitus pulvis est, cujus haec erat formula: R. Hydrarg. muriat mit. gr. jii, Rad. Jalapp. ℥j. M. f. Pulv. S. uno hausto sumendus. Circa coxam morbosam hirudines sex sunt applicatae.

D. IX. Febr. Hirudinibus admotis dolorum coxae vigor quodammodo imminutus videbatur. Tanto magis urgebant in genu dolores.

D. X. Febr. Idem quum in coxa renovati vigerent, somno cibusque appetentia turbatis, cauterii actualis usum diutius differre, haud videbatur consultum. Itaque tres striae candente ferro prismatico inurebantur, et duae quidem post trochanterem, una ante. Interiorem, quo infestabatur, dolorem aegre ab externe excitato distin-

guere licebat aegroti. At candente ferro vix admoto, vicens in genu dolor illico remisit.

D. XII. Febr. Salutaris cauterisationis eventus aliquanto magis retardari videbatur, quam in duobus exemplis supra commemoratis. Continuebant, quantumvis mitigati, dolores.

D. XVI. Febr. Noctu ingruerant motus febri-les; de capitis dolore sitique querebatur aeger. Centeni pulsus numerabantur minutiori unius horae momento. Sextus post cauterisationem hodiernus dies cum esset et suppuratio suboriri coepisset, in hujus connubio febrem esse, licebat suspicari. Ad rite disponendam tractus intestinorum turbatam activitatem, propinabatur aegroti medicamen hujusce formulae: R. Rad. calami aromat. ℥j, infunde cum aq. ferv. q. s. Colat. ℥viiij. adde Tinct. Rhei Darelii ℥vj. D. S. Ternis horis cochlear unum adsumendum.

D. XIX. Febr. Febrilia sensim cessaverant symptomata. Normales canalis intestinorum functiones erant. Pro ratione succedentis suppurationis, decrescebant, in extremitate adfecta, ante vigentes dolores.

D. XXVI. Febr. Magis magisque convales-

cebat aeger. Dolores in genu coxaeque percepti magis etiam imminuti sunt. Praeterea normales erant singulae functiones: alimentorum adpetentia, alvi dejectio, somnus.

D. XV. Mart. Deambulatio, pede adfecto uti licebat Nostro, doloribus insigniter non auctis. Ceterum inivitus extendebat adfectum pedem eo, quod tum tendebatur suppurans superficies.

D. XXVI. Mart. Denique invaluerat genu dolor, motibus auctis, coxa tamen doloris experte. Tempestatis injuria, cui accedebant inquieti aegrotantis mores, pejorem hanc intulisse aegro videbantur conditionem.

D. III. April. Non remis erat in genu dolor. Circa caput articulare femoris nullum quidem sentiebat aeger; vulnus tamen, in suo circuitu fervens, dolebat. Qua de causa denuo hirudines sex sunt applicatae, aequae ac ad derivationem adjuvandam interne purgans remedium praebebatur, ita praeparatum: R. Hydrargyri muriat. mitis gr. iv., Radicis Jalappae ʒʒ. S. Uno hausto assumendum.

D. IV. April. Alvi dejectio ter erat secuta. Hirudinum usu et subsequente effluxu sanguinis tem-

perata quidem externa inflammatio erat, at genu infestabant iidem vehementes dolores. Summum quietis studium commendatum est. Unguentum pedi adfecto infricandum hoc est praebitum: R. Unguent. mercurialis ʒʒ. Linimenti volatilis ʒj. M. — Ad internum usum denuo porrigebatur: Infusum Calam. arom. c. Tr. Rhei Darelilii.

D. XIII. April. Praeter paucas remissiones fere sibi constabat dolor genu vexans, in media articulatione vehementissimus. Magis ad tuendam quietem, quam aliam quancunque ob causam emplastrum mercuriale genu imponere visum est.

D. XXX. April. Severum quietis studium intulisse videtur remissionem dolorum. Alternis vicibus et laxa et stricta alvus erat. Quibusurbationibus exceptis, oriundis tamen ex incomposita, quam, contra medicorum statuta, sequebatur, diaeta, mediocriter valebat aegrotus.

D. V. Maj. Tractus intestinalis activitas in ordinem rursus erat reducta. Noctu genu dolor nonnunquam saevior redibat. Parca erat suppuratio vulneris, quod ideo cantharidum pulvere est obsparsum.

D. VII. Maj. Fecundior suppuratio. Levis

interdū in genu dolor, noctu augescens. Nixus in pedem adfectum, percipiebat aeger primum momentaneum ictum, deinde vero continuos dolores in genu lateris adfecti. Ex hoc quidem tempore, commendata hoc in morbo, balnea tepida praebebantur terna singulis septimanis.

D. VIII. Maj. Balneo adhibito sudor obortus; quem quidem aegrotus non fovebat. Hinc accidit, ut auferentur in genu dolores.

D. XII. Maj. Balneis saepius repetitis, insigniter remiserant isti dolores. Ad juvandam medelam liberi purique Aëris sapientem usum aegro permittere, jam est decretum.

D. XXVI. Maj. Salutarem vim in omnem aegroti conditionem exeruisse videbantur ut calida balnea, ita et calida, coelo sereno, tempestas. Genu sensibilitas fere nulla superstes, nec dolores, ex adfecti artus voluntario usu, amplius percepti, functionibus naturae ceterum dextre succedentibus.

D. IV. Jun. Major superficiei cauterisatae pars coierat consanescens, cicatrice obducta; modica in parte vulneris adhuc aperta suppuratio. Ceterum optime valebat Noster.

D. X. Jun. Sanatus, sub certa quidem conditione, existimandus cum esset, demissus est e nosocomio, ita tamen, ut injungeretur convalescenti, ulcus aliquamdiu fovere, apertumque servare. Brevior redditus fuerat pes adfectus, in coxa levis mobilitatis gradus erat conspicuus. Ambulare, et satis quidem celeriter, ipsi licebat, immuni doloris. In articulo genu motus erat expeditus.

Quartum exemplum.

Joannes (Hans vulgo dictus) praedii Suislepiensis, XIII. annorum, juvenis rusticus, vultus satis vegeti ac florentis d. XXI. Jan. An. d. 1699, in sectionem chirurgicam nosocomii literarum universitatis Caesariae delatus est, ut dolori in coxa dextra furenti adhiberetur medica curatio. Quantum quidem memoria repetere praeterita poterat, semper optime valuerat. Ante sex menses in trochanterem dextri lateris lapsus, statim sensit vehementem in coxa dolorem, mox tamen, quiete quaesita, et commodo, qui sibi met ipsi videbatur, in cubili situ, temperatum. Ob insignem dextri pedis infirmitatem, iteratis vicibus humi

lapsus in idem latus, dolores ex quocunque repetito lapsu persentiscebant vehementiores. Quantumvis ex postremo lapsu dolores mitigatae fuisset, nuperrime tamen, citra conspicuam qualemcunque causam, tantopere vigere coepti sunt, ut refugium hoc in nosocomio quaerendum esset aegroto.

Disquisitio externae facta docebat, longitudine adauctam esse adfectum pedem, at fere non nisi pro ratione pelvis obliquatae. Trochanteris enim proportio ad cristam iliacam fere eadem erat, quae salvi lateris. Pro ratione levis hujus aberrationis a lege naturae, et reliqua, non nisi leviter, indicata erant symptomata: Spinae dorsi, versus latus adfectum, fere omnino nulla curvatura convexa conspicua erat; plica horizontalis natis aliquantillum modo inferior, quam in salvo laterè. Natis adfecti lateris fere perinde orbiculata, atque salvi. Nullus omnino genu dolor. Claudicabat deambulans et artus adfecti usus inferebat dolores. Consistens inflexum exhibebat, tum in coxa, tum in genu, pedem adfectum hujus digitis solis terram tangentibus. Quibus singulis col-

lectis, animoque perpensis, Coxalgia laborare aegrotum et versantem quidem in secundi stadii primordio, licebat suspicari. Rerum conditio ea quidem erat, ut dubitari posset, utrum ex causa mere mechanica, h. e. ex repetita coxae contusione exortum sit malum, an lapsus iteratus non fuerit considerandus, nisi tanquam occasionale momentum externum. Utique meminisse non poterat Noster, ex anteriori vitae suae stadio, ullius momenti, unde malum quoddam scrophulosum augurari licuisset; at hoc ipsum suadebat quodammodo ipse habitus ejus. Ut mature occurreretur huic malo forte erupturo, pariter existimatum est, profuturum esse externae tractationis, cum interna medela, connubium. Hinc inde ab ipso d. XXIII. Januarii pulvis Plummeri est praebitus, ita quidem, ut et mane et vesperi dosis una porrigeretur. Praeterea in primis quies in lecto, quantum posset esse, maxima, de meliori ei est commendata.

D. XXVI. Januar. Dolores, jam decrescere coepti, denique quum exacerbescerent, cuncta phaenomena autem parum urgere viderentur, insuperque vel in majori etiam hujus morbi vigore,

experientia magistra exploratum esset leniora etiam, quam cauterium actuale, existere remedia: emplastri vesicatorii ordinarii adhibendi periculum facere visum est. Duae igitur emplastri laciniae, a se invicem aliquantulum distantes, ad utrumque trochanteris latus sunt impostae, Unde factum est ut fere omnino cessarent adfectae coxae dolores.

D. XXX. Jan. Pulveris Plummeri, eo, quod nauseam moveret, intermittendus erat usus. Emplastro vesicatorio ex aliquot diebus seposito, de novo in coxa vigere dolores coeperunt, mox tamen, emplastri continuo usu, quiete in lecto continuata et pulvere Plummeri iteratis vicibus interne adhibito, fugati, ita, ut brevi temporis spatio, sanitati eum restitutum, declarari posset. Bene succedentibus singulis naturae functionibus, cessantibus tum incessu claudicante, tum coxae doloribus, ceterisque, in morbi decursu quae compaerant, abnormitatibus, d. XIII. Febr. bene valens est demissus.

.....

Sectio II.

Cogitata quaedam de articulorum morbis in genere, et in primis de sede atque origine morbi nominibus

Coxalgiae, Coxarum morbi, Coxarthrocaces celebrati.

§. I. Quamvis anomalorum processuum in corpore humano explicandorum studium arduum sit, quoniam in arcanis suis operationibus aegre aucupari queas naturam, sensim tamen eo denique perventum est, certos morbos sub notione generahori collectos, ita comprehendere animo, ut vix ac ne vix quidem obloqui liceat. Itaque nemo amplius infitias ibit, praeter cutis, musculorum etc. inflammationem, et de ossium inflammatione cogitari licere. Quantumvis enim singularium organorum phaenomena illorum indolem sequantur, in singulis tamen formis analogon et momentorum definitorum, adaucti hujus anomali vegetationis processûs, ordinem ac seriem licet monstrari, scilicet temporis, peculiaris singulo-

rum habitus, aliorumque momentorum, ratione habita.

§. 2. Ratio, pathologicum ejusmodi processum in alio organorum prius animadverti, quam in alio, saepe tantopere in promptu est, ut computari eum posse, dubitare nullo modo queat. Saepe vero causa illius tam impedita est atque abstrusa, ut quum omnino ratio quaecunque cogitari debeat, ad peculiarem indolem, a naturali illa forte distinguendam, coactus sis confugere. Peculiaris illa indoles, morbosa commodius dicta, (alias venenum, acrimonia, dyscrasia adpellata) difficillimum est momentum in explicando morbi processum: qua, abscondita illa naturae officina, cujus arte (machinatione) speciosae valetudinis via, ad mortem usque, externis rebus iniquam fere vim nullam inferentibus, tam infausta necessitate absolvitur. Non est, quod, praeter carcinoma et fungum haematoden, aliorum morborum commonefaciam Lectores.

§. 3. Articuli certaeque eorum partes, pathologicae huic dispositioni interdum obnoxii sunt quam maxime, quippe quae, in externi momenti causalis consortio, aut tanquam ulterioris evolu-

tionis suimetipsius sequela, creberrime generant articularum morbos, quique legibus internis geniti dicuntur morbi articularum, distinguuntur soliti ab iis, qui ex momentis pendent externis, et eo quidem, quod, in morbis postremo loco commemoratis, externo momento accedat naturalis indoles.

§. 4. Medicorum adsertum, experientia magistra, pluribus minoribusve exceptionibus obnoxium, morbos ita formatarum partium organismi, nervorum majoris vigoris expertium, sensibilitatem insignem evolvere a vi priori sentiendi omnino alienam, certis quidem restrictionibus hic habet locum*). In statu sano, irritationis articuli, corporis motibus excitatae, fere omnino conscius non est homo, musculorum vi simplici, qua mutuus superficierum articularum pressus augetur, et lenissimo quocunque articuli motu, in plurimis articularum morbis jam excitantibus vehementes dolores.

*) Xavier Bichat, allgemeine Anatomie, angewandt auf Physiologie und Arzneiwissenschaft. Uebersetzt von Pfaff. Leipzig 1802. Th. I. Abth. I. P. 33. 36. II. Th. I. u. II. Abth. pl. I.

§. 5. Quantumvis varia esse possit rerum conditio, qua singularum partium articularum indoles pathologica et evolvatur, et progrediatur, ut, quoad tempus, externa phaenomena et destructionem inde illatam, sive ex momento quodam externo eodemque accidentali, pendeat, sive minus: non nisi triplici modo oriri possunt articularum morbi. Aut enim nascuntur ex durioribus partibus, quarum pars constitutiva principalis, calcarea phosphorata terra est, aut ex mollioribus partibus, aut ex utrisque. Quum autem articuli, qua tales, tanquam ex mutua istarum partium intima conjunctione sint spectandi, ita, ut morbi istorum tantopere solitarii considerari non possint, habeo equidem, quod orem atque obsecrem Lectores, ut, divisionem a me exhibitam ad solas spectare origines, meminerint.

§. 6. Haud raro accidit, ut arthrocace et tumor albus *) morborum genera, ista quidem

*) Si dicendum, quod res est, nomen Arthrocace, quo certum quoddam morbi genus articularum insignit Cel. Rust, non satis convenire videtur, ut sub quo et tumor albus, quem dicunt, aequo jure intelligi possit, quum in utroque morborum articuli, de quo agi-

divisione alio ab alio discriminata, male permixtarentur †). Sic, ut utar exemplo, morbus genu infestans dolore, tumore decolore, jam magis, jam minus duro, motuque dolente etc. tumor albus est dictus. Contra morbus coxae, nunc genu dolore, nunc minus, adfecta extremitate primum prolongata, deinde breviori reddita, jam cum abscessu in coxa formato, jam hujus immunis etc. Coxalgia nominata. Sed tum morbus ille, tumoris albi nomine veniens, tum iste, nuperrime a Cel. Rustio, generali arthrocaces, nomine notatus, coxarthrocaces vocabulo coxae morbo insignito, obvii esse possunt in singulis articulis. Quod quidem, in majoribus articulis in primis

tur, pars sit adfecta. Equidem malim igitur Osteoarthrocacem illum morbum, Malacarthrocacem hunc quidem nuncupare, ita, ut utrique commune sit Arthrocaces nomen*). Sed etymologica vocis, rem quandam insignientis dignitate non spectata, minime est, quod obloquar iis, quibus morbos istos ex more alias consueti, arthrocacem et tumorem album adpellare visum est. Verum enimvero tumor albus coxae, sicut infra monendi occasio dabitur, tum fuerit distinguendus, proinde atque tumor albus genu solet agnosci.

*) Cf. Jenaer Allg. Litt. Zeit. 1819. März N. 43.

†) Cl. Rust, Op. cit. p. 66.

Gel. Rust *) et Gel. Schreger **) suis commonstrarunt observatis. Prioris generis observationes, praeter alios Auctores maxime Cl. Brodie ***) exhibuit.

§. 7. Tametsi articuli per consentaneas, quibus constituuntur, partes, primo quidem obtutu, semper iisdem obnoxii videantur morbis, vel saltem parem ad eos suscipiendos habere pronitatem; est tamen unde cujusdam morbi in quocunque articulo vel raritatem vel frequentiam explicare possis. Id nimirum solum non est considerandum, ossibus, cartilaginibus, ligamentis, membranis constitui articulos, e contrario forma ****), functiones, vicinitates, tegumenta et major minorve virtutis musculorum in motibus vis haud minus valere putanda sunt. Hoc quidem respectu, tum

*) Op. cit. p. 127 — 195.

**) Beiträge zur Nosologie der Gelenkkrankheiten in den chirurgischen Versuchen. Nürnberg, 1818. II. Th. 209 u. ff. 227 u. ff.

***) Op. cit. pl. et in Medico-surgical Transactions. Vol. IV. V. VI. disjecta observata.

****) Richerand, Nosographie chirurgicale, Edit. 4. Tom. III. p. 238. à Paris 1815.

coxae, tum genu articulis consideratis, insigniora profecto sunt ista discrimina: Illic minor articulus, capitis femoris obliqua in pelvim insertio, magna, axis superioris partis ossis femoris, ab axe universi reliqui corporis, declinatio. Hic (in genu articulo) axis corporis multo propior est hujus partis axi, articuli superficie majus spatium occupante. Et ambulans et consistens homo naturae instinctu ductus, aequilibrium corporis sui tueri studet; ad quem vero finem, extremitatem inferiorem, cui innititur, ita dirigit, ut perpendicularis corporis diameter, suscipiens punctum gravitatis, versus plantam pedis tendat. Itaque punctum gravitatis tanto remotius est a sustentationis puncto, quanto hoc ultimum altius in extremitate ascendit. Praesidia autem, a natura subministrata, ad avertenda incommoda, e recta corporis statura inde oriunda, ut gravissimi sunt momenti, ita, ad structuram et formam harum partium quod attinet, ingeniosissimae artis sunt dicenda: latiori nimirum extensa planitie articulationis in genu; in coxa vero, vasta musculorum glutaeorum, psosatum etc. congerie. Denique et vicinis partibus articularum et tegumentorum varietate, ad mor-

hos suscipiendos, pronitas arcessitur varia. Jam profundiori magisque abscondito, jam magis superficiali situ suo, externis rebus infestis plus minusve obnoxii sunt hi articuli. Hinc e. g. frigus, tanquam momentum exterius occasionale, in quibusdam morbis genu, longe majorem vim hic exserit, quam in coxa.

§. 8. Praetermissis, ceterum consentientibus, effatis Fordii *), Albersii **), Fickeri ***), Ruszii ****), Schregeri †), Volpii ††), Richerandi †††) aliorumque, aut imminutum, aut omnino sublatum mutuam pressum articularum finium, tan-

*) Edward Ford, Bemerkungen über die Krankheit des Hüftgelenks. Aus dem Englischen übersetzt von C. F. Michaelis. Breslau, 1795. p. 71 u. 140.

**) L. c. p. 56.

***) Ficker, Preisfrage, worin besteht eigentlich das Uebel, welches unter dem sogenannten freiwilligen Hinken der Kinder bekannt ist? 4. Wien, 1807. p. 51 u. 55.

****) L. c. p. 124.

†) L. c. p. 229.

††) Tomaso Volpi, Abhandlung über die Coxalgie. Aus dem Ital. übersetzt von Heinecken. 1818.

†††) Richerand L. c. p. 243.

quam necessariam sanandi coxarum morbi conditionem commemorantium, haec potissimum sunt momenta, pressus vim ad alendam morbi ulterioris evolutionem, comprobantia. Primum: eas in primis partes invadit morbus, quae in regione actionis muscularis Glutaeorum, h. e., inter punctum admotionis et insertionis sunt constitutae, et eas quidem potissimum partes, quae peculiari sua conditione, minima resistendi vi pollent. Quae de caussa femoris et caput et collum, nec minus acetabulum ejusque vicinitas adficiuntur hoc morbo. Deinde: pro ratione puncti sustentationis, sursum quidem, magis magisque aberrantis a linea perpendiculari, per punctum gravitatis corporis petente, corporis mole, ultra suum ipsius pondus, adaucta, et crebritate augescere, morbum, videmus. Rarus igitur in pedis articulo, in genu frequentior, in articulo ileo femorali frequentissimus. Denique monendum, in tertio morbi stadio, luxatione oborta, haud raro anchylosin formari, vel articulum artificialem, docentem, tum demum, luxatione spontanea facta, jam formatae metamorphosi, eam terminando, normalique conditioni reddendo, parem fuisse naturam; quod quidem

pressu sublato solummodo fieri potuerit, quum, spontanea ista luxatione, immutata esse minime posset morbi natura.

§. 9. Quodsi exploratum fuerit, pressum primis hujus morbi conditionibus datis, insigniter favere ad coxalgiam, quam dicunt, alendam, haud minus fortassis certum est, pressum auctum et generare posse. Tanquam solam morbi causam, plagam, ictum, pulsum, lapsum commemorant auctores. Varii generis autem vis illa illata ad pressum auctum referri potuerit. Praeterea aegre percipi licuerit, cur hic perinde atque alibi humani corporis, momento externo vim mechanicam exerente, inflammatio et phaenomenorum subsequi eam solitorum caterva oboriri non possint.

§. 10. Ex quo adtentius hunc morbum lustrare coeptum est, variabant circa genium et indolem ipsius observatorum sententiae. Quid? quod ne consentiebant quidem in primitiva mali sede determinanda; Antequam ad breviter commemorandas, jam a Cel. Rustio in collaudato opere suo, hac de re fusius enumeratas, transimus sententias auctorum, hoc in medium proferre li-

ceat Cel. Rustii monitum: „Passionem secundariam cum primaria et vice versa, saepius esse permutatam unde exorti fuerint varii generis errores.“ Id quod tamen non nisi certa sub restrictione concedi potuerit, quum antiquiora medicorum observata omnino falsa esse, profiteri non liceat. Hac quidem re praetermissa, fere haec, quoad originem mali, exhibere videntur auctorum sententiae: Coxalgiam articulationis coxae morbum esse ex uno vel altero hanc articulationem constituente organo prodeuntem, qua quidem re sensim et reliquae partes omnes simul adficiantur; et Coxalgiam semper proxime non provenire, nisi e certo organo hunc articulum efficiente etc.

§. 11. Jam supra traditum est, singulas organismi, ergo et articuli, partes, obnoxias fieri posse inflammationi, neque minus exitus, pro singulari organisatione harum partium, modificatos esse debere. Quodsi comprobatum est inflammatoriam partis ad constituendam articulationem facientis adfectionem, sensim gignere posse phaenomena, quorum complexus Coxalgia nomine venit, primitivam mali sedem, quam dicunt, in illis quaerere fas est. Quum vero non concedi non

possit, cunctorum in coxalgia laborantibus phaenomenorum peculiarem non esse, nec sibi soli propriam conditionem, quin ex partium articulationis coxae inflammatione ejusque sequelis explicare posset, incerta mali primaria sedes videtur, sicut praeterea ex §§ sequentibus ulterius elucebit.

§. 12. Exploratum est, certas certis organismi partibus potissimum adfectionem munitare dyscrasias: in Syphilide, pariosio, in Arthritide, membranae synoviali, in Rhachitide Scrophulisque spongiosis ossibus. Quodsi coxalgia harum dyscrasiarum sit sequela, aut internum illius momentum istae constituent, intelligi omnino nequit peculiaris illa Coxalgiae conditio, qua semper in osse exoriatur. Deinde constat inter omnes, refrigerationem tumoris genu et Coxalgiae causam externam occasionalem esse: qui, quaeso, fieri poterit, ut genu saepenumero non nisi molliores partes, in articulatione coxae contra semper os solum, primum adficiatur, indeque metamorphoses prodeant in mali ulteriori processu comparere solitae.

§. 13. Inter partes omnes, articulos, ergo et coxae articulationem, constituentes, cartilagi-

nes diutissime resistere videntur inflammationi. Doernero *), Bichato **) et Haasio ****) auctoribus, cartilagini ante adeo formae mutatio est subeunda. Omnium igitur partium articulum constituentium, hanc primarie affectam esse in coxalgia, in dubium vocari potuerit. At, praetermissis veteribus, nuperrime tamen Cel. Brodie ****) aliquot cadaveribus dissectis ulcerantem primarie cartilaginem acetabuli in coxalgia invenit. — Ligamentis et tegumentis in coxae articulatione dispartitis, nullum peculiare prae ceteris est praesidium, quin primaria passio omnimodam partium articulationis inferre possit destructionem, ita, ut, quod in genu articulationem valere traditum est, et in coxae articulationem valere de-

*) De gravioribus quibusdam cartilaginum mutationibus. Tübingae, 1798. p. 52. sqq.

**) Desault, chirurg. Nachr. l. c. I. Bd. p. 163.
Bichat, allg. Anatomie, l. c. II Th. I. Athl. p. 100.

***) De fabrica cartilaginum, dissertatio. Lipsiae, 1767, 4to, §. 11.

****) Med. Trans. l. c. Vol. IV. p. 246.

beat. — Qua ratione massa adiposa *) in fovea acetabuli sita, insignem vasorum sanguinosorum numerum suscipiens, partem primarie adfectam in morbo coxarum agere possit, facile intelligas, cum perpenderit, inflammationem quacunque ex causa oriundam, tumorem illae inferre. Quae tumida massa adiposa libere se extendendi spatium quum non reperiat, hac ipsa re augetur inflammatio. Qua fortuito faustaque non cessante, suppuratio oboritur. Puris nova haec congeries vim tum exserere in partes proxime constitutas, ergo phaenomenorum copiam advehere potest, quae comparere solet in coxalgiae decursu. Morbi processum cum hac phaenomenorum serie cadaverum sectiones a Tschepio **), Monro ***) et de Haen ****) Viris Celeberrimis, factae monstrare videntur.

*) Reil, Archiv für die Physiologie, V. Bd. 28 Hefte, p. 260. — Bichat allg. Anat. II. Th. I. Abth. p. 105.

**) Diss. singularem exhibens casum de amputatione femoris non cruenta. Halae Magd. 1742. §. XVIII.

***) Reimarus, Diss. de tumore ligamentorum circa articulos fungo articulorum dicto. Lugd. Bat. 1757. §. 52.

****) Loco cit. p. 128.

§. 14. Creberrime tamen in osse Coxalgiae sua capescit primordia. Praeterquam quod plures oboriuntur dyscrasiae, vigentes quidem, vim suam noxiam exserentes in longorum ossium, praepriis spongiosorum fines, alia etiam sunt momenta, quae passionis primitivae hinc reddant rationem. Scrophulosa dyscrasia, creberrima coxarum morbi comes, destruere spongiosam ossium partem adlaborat eximio nisu. Quae quidem destructio primum cernitur, qua ossis massa, — tanquam renisus, — minor est, cum musculorum vi comparata, quae quidem vis superare renisum admittitur *). Hinc spondylarthrocace vertebrarum colli, a Cel. Rustio, ita nominata, malum coxalgiae simillimum, in atlante et epistropheo oritur, et, eo magis, aequis conditionibus, in coxa, quum fortasse nullibi universi corporis, renisus et vis hunc superatura, tam impares fuerint, quam isto loco **). Genu dolor, tam frequens in coxalgiae

*) J. Fr. Meckel, Handbuch der menschlichen Anatomie, 1815. T. I. p. 417 u. 418.

**) Quantumvis ex peculiari corporis habitu, maxime in primo decursus stadio, haud exigua pendeat diversitas, tanta tamen haec esse nequit, hoc solo ob-

primordio, et, meo quidem arbitrato, minime deest, ubi nulla, ad generandum coxae morbum, praecesserit mechanica causa, morbo igitur ex dyscrasia oriundo; genu dolor, inquam, nil aliud esse videtur, nisi aut primitiva, aut contemporanea, inferioris finis ossis femoris, in coxalgia, adfectio, et eo quidem magis, cum Gel. Brodie *) observationem eo spectantem memoriae prodidit. Verisimile est, serius in unum colligi hunc morbum in articulatione coxae, quoniam mala circa nismum et renismum proportio, ibi insignior est, quam in genu articulo. Nam de antagonistica lapidis caustici et cauterii actualis virtute cogitare si licet, nonne pari jure suspicari, et genu affectionem, Coxalgia, per antagonismum, derivari? Nonne genu dolor saepe simul cum coxae dolore, in Coxalgia sic dicta, cauterii actualis beneficio tol-

versante momento, quanta vere reperitur. Quae diversitas primariae sedis diversitatem innuere videtur. Osse enim primariae adfecto, phaenomenorum morbi longe aliud non subsequi aliud non potest, quam solis tegumentis aliisque partibus infestatis, unde demum cum osse communicatur affectio,

*) Path. Observ. l. c. p. 142 et 143.

litur? id quod et ex tertia morbi historia supra enarrata partim videtur confirmari. Praeterea tum theoriae, tum praxeos fide comprobatum est, morbos morbis sanari.

§. 15. Constat inter artis peritos, vasa cujuscunque partis organismi cum nutritione et vita ejus in gravioris momenti connubio versari; neque alia circa ossa ratio esse potest. Periosteum, ubi reperitur, organon ad vitam ossium proprie pertinens, non est putandum, nisi eo, quod ossa tegat, quodque vasa, quae ossibus ingerit, suscipiat. — Qua enim circumcirca devastata, emortuum os est ad certam usque altitudinem*). Quum autem, inde a periosteo, tum in ossium substantiam, tum in interiorum eorum planitiem vasa progrediantur, aequae ad nutrienda ossa, ac ad medullam generandam facientia: necrosis illa ossis per partes, non omnino, contingere solita, explicari potuerit sine negotio. Cum ossis necrosis perfectam horum vasorum destructionem subsequi debeat, facile intelligas, omnes mutationes ex ossium vasis proficiscentes, ergo et inflammationem

*) Meckel l. c. p. 367.

eorum, magnam vim exerere in vitam ossium. Inflammationis autem phaenomena ab iis, quae in reliquo animadvertuntur organisio, minime sunt diversa, at, pro peculiari ejusmodi partis organisatione, variata. In organo, cujus vasa ad nutritionem spectantia inflammata sunt, primum adaucta cernitur vegetatio anomala, hinc tumor; in ossibus hyperostosis, sicut experientia edocti sumus, in cariem transiens, nisi retrogradatur. Quae cum ita sint, non errasse Cel. Rusti videtur, omnino Arthrocacem quam dicit, ex inflammatione vasorum, ejusque sequelis, derivans. At perpensis illis momentis, temeraria videtur esse assertio, Coxalgiam tum in carie centrali ossis femoris cerni, tum, quod ex subsequente § patebit, solummodo inde ex osse femoris evolvi.

§. 16. Quum ossium, in longum extensorum, fines spongiosi, ubicunque Coxalgia et ad fines morborum formae, uti fertur, inde ab ossibus, ex dyscrasiis oriuntur, non adficiantur, nisi quod spongiosae sint conditionis, aliis ossibus, densitate eadem praeditis, neutiquam ulla virtute praestant. Hinc itaque sequitur, eorum originem, quotiescunque ex ossibus evoluta fuerit coxalgia,

superiori ossis femoris parti non esse tribuendam, nisi eo, quod plerumque hujus partis magis spongiosa, quam acetabuli, ejusque vicinitatis sit conditio. At densitatis proportio haud ita sibi constat in rerum natura. Superioris partis ossis femoris structura firmior, acetabuli infirmior esse potest. Quum vero momenta morbum proxime excitantia spongiosam ossium partem prae ceteris infestent, facile intelligitur, ossa articulos constituentia prima affici debere eo loco, ubi praevallet spongiosa haec substantia. Ita autem ratiocinari, per experta auctorum, licet, qui jam in femoris osse oboriri morbum videbant; et arbitraria mihi videtur Cel. Rustii *) persuasio, negantis, morbum in osse ilei oriundum, non esse coxalgiam.

*) l. c. p. 20.